



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 63. Liber de vita B. Virginis Joannæ a Cruce Franciscanæ a Parisina  
Facultate proscriptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)



## §. LXIII.

Sæc. XVII.  
A. C. 1614.*Liber de vita B. Virginis Joannæ a  
Cruce Franciscanæ a Parisina  
Facultate proscriptus.*

Eodem anno die prima Octobris Sa-  
cra Facultas Theologica censuram  
pronuntiabat adversus librum, cui ti-  
tulus: *Vita admiranda B. Joannæ a Cru-  
ce ex tertio Ordine Pœnitentium S. Fran-  
cisci.* In hoc enim libello narrabatur,  
quod *Angelus Custos* ad preces hujus  
Virginis magnam quandam granorum &  
rosariorum quantitatem a ceteris Monia-  
libus suppeditatam in cœlos asportarit,  
pro divina benedictione illis in Christo  
Domino elargienda, qua concessa eadem  
hæc grana virtutem contra dæmonia,  
spectra, incantationes, magias, grandines,  
tempestates, febres & infirmitates habue-  
rint, eorumque contactus physicus etiam  
aliis granis ac rosariis processu in infini-  
tum similem virtutem conferre potue-  
rit. Prodiit etiam Parisiis brevis re-  
latio circa hæc grana, ubi refertur, quod  
qui decem *Pater & Ave* recitaverint, at-  
que unum ex his granis habuerint,  
confessi & S. Synaxi muniti eodem in  
statu sint, quo in Baptismate donantur:  
qui vero Ecclesiam S. Crucis visitave-  
rint, tot consecuturi sint indulgentias,

*Argentre  
collekt. Juch.  
tom. 2. p. 91.  
Fortun.  
Hueber me-  
nolog. ad 3  
Maij.*

Cap. 9.

Cap. 11.



Sæc. XVII. quot in tota vicinia ad duo milliaria  
 A.C. 1614. sunt folia, flores, paleæ, & herbæ.  
 Pagina autem 128, cap. 13. narratur,  
 hanc Virginem obiisse in Ecclesia mu-  
 nus Doctoris & Concionatoris, atque  
 aves omnis generis advolasse, ut illam  
 attente audirent concionantem: capite  
 decimo sexto refertur, quod animæ  
 suum Purgatorium faciant inter saxa  
 & lapides in fluviis latitantes, in va-  
 sis, quibus flores in cella ejusdem Vir-  
 ginis reponebantur, eaque vasa una-  
 cum floribus toties inclinata fuerint,  
 quoties ipsa diceret *Gloria Patri* &c.  
 Præterea ibi diligenter cavebatur, ne  
 propter cœlestes ejusmodi granorum  
 benedictiones alia Rosaria a Pontifici-  
 bus Benedicta contemnerentur: Exa-  
 minato igitur insulso hoc libello, Fa-  
 cultas pronuntiabat, eum esse censura  
 dignum, eo quod contineat multa falsa,  
 scandalosa, superstitiosa, & fabulosa,  
 Christianæque doctrinæ minime con-  
 sentanea, proin ab ejus lectione om-  
 nino abstinendum esse. Enimvero nec  
 solida virtus, nec vera sanctitas pro-  
 germinat tam absona corruptæ Phan-  
 tasie deliramenta, quæ vel maxime  
 damnat, semperque detestatur Eccle-  
 sia Catholica, cum hæc ad compro-  
 bandam sanctitatem suam nec novis  
 miraculis, superstitiosis devotionibus,  
 nec



nec imaginariis Revelationibus egeat. Sæc. XVII.  
A. C. 1614.  
Nec tamen propterea quicquam dene-  
gatum volumus sanctitati hujus Virgi-  
nis, quæ cælestes gratias ex puro fonte  
hauserat, primum vel aliorum malitia  
aut simplicitate adulteratas.

De eadem hac Virgine Bollandi  
Continuatores hæc scripta reliquerunt:  
*multam operam dedimus, ut antiquam ejus  
vitam nancisceremur scriptam vulgari lin-  
gua ab ejus socia & discipula Sorore Ma-  
ria Evangelista, ad hoc divinitus literas  
edocta; verum neque id successit, neque ut  
successisset, ea vita hic poni potuisset, quia  
mortua Joanna est anno millesimo quin-  
gesimo trigesimo quarto, adeoque in-  
tra terminos Decreti Urbaniani, & causa  
beatificationis agenda erat Romæ, ubi suspen-  
sa dicuntur tantisper omnia: quod & nos  
facimus, ne iudicium Ecclesiæ præoccupare  
videamur. Horum quoque vestigia pre-  
mens, quæ addere possem, silentio  
prætereo.*

## §. LXIV.

*Montferratense bellum.*

Gliscentibus licet civilis belli flammis *Bald. Chrono-  
moral. ad  
hunc ann.  
Ferrer. Hist.  
Hispan. cap. 2.  
p. 193. t. 1.*  
in Francia, nihilominus Ludovi-  
cus XIII. Rex Metropolin suam orna-  
mentis, ac Regnum salutaribus insti-  
tutis firmare nitebatur; quippe præter  
edi-